

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXVII/VIII

AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ANALECTA PLAUTINA

F. V. FRITZSCHII

PRAEMISIT.



TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

INDEX

LECTURE

IN

ACADEMY ROSTOK

SEMINAR ROSTOK

AS THE XV. OCTOBER

PROFESSOR ROSTOK

ANALYTICAL

V. N. ROSTOK

PLATE



UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK

Studia Plautina intermissa temporibus nuper demum renovavi, partim ut muneris mei rationibus satisfacerem, partim ut acerbum dolorem e F. Ritschelii summi et amicissimi viri morte conceptum solatio lenirem, si huic Plauti restitutori debitum honorem etiam mortuo habuissem. Incipiam autem nunc a Bacchidibus. In his duplici editione Ritschelii usus sum, prima ‚ad codicum Palatinorum fidem‘ exacta, quae Halis a. h. saec. XXXV divulgata est, et novissima sive Bonnensi a. XLIX, qua et apparatus criticus et justa fabulae recensio continetur. Praeterea G. Hermannii recensionem quae a. h. saec. XLV Lipsiae exiit, ubique consului: quis enim nescit Hermannum quoque metricorum principem de Plauto eximie meritum esse? Quorum duumvirorum tam egregiis recensionibus fabulam non totam perpurgatam esse nemini potest mirum videri. Omitto initium fabulae, quod quum jam olim perierit, e paucis fragmentis in integrum nequit restitui. Ceterum haec quoque fabula, uti Plautinae ad unam omnes corruptissima est, praesertim quum ejus salus a vetusto Camerarii codice inprimis pendeat: nam in Ambrosiano Bacchidum versus non exstant nisi paucissimi. Et Hermannii quidem conjecturae justo audaciores, quibus codicum auctoritas saepe obstat, numeros tamen habent Plautinis meliores, quibus Plautum ipsum uti noluisse doleas. At hic poeta paupertatis vitio, quo plures vendere fabulas posset, in scribendo mire solebat festinare teste Horatio in Epist. II, 1, 175. Sic quoque hae mutationes, quibus Hermannus in Praef. p. VIII. se dicit ‚luisse‘, nonnullis in locis perutiles sunt, in quibus latet, quousque conectoribus progredi licitum sit. Etsi plerumque id invenias, quod ubique quaeritur, non quomodo scribere Plautus potuerit vel etiam debuerit, sed quid ipse re vera scripserit. Quare nos eodem tempore ambo Hermanniana recensione excitati studiose egimus id ipsum, Ritscheliu tum Bonnae, ego Rostochii, qui in commentatione a. XLVI edita statim a principio ‚operam me dedisse ostendi, ut conjecturae meae ubique antiquissimae lectionis vestigia secutae esse viderentur‘. Prorsus idem triennio post Ritscheliu meus in editione egit Bonnensi et tam feliciter egit, ut haec nova Ritschelii recensio Hermannianae meisque conjecturis longe praeferenda sit. Etenim jam tum Ritscheliu dictionis Plautinae genus melius quam ego habebat perspectum. Attamen par in utroque nostrum erat linguae latinae facultas, aequalis amor veritatis, similis studiorum ardor et tot comicorum pertractatio, eadem denique erga Hermannum reverentia, qui etiam in Bacchidibus haud paucos versus leniter ac vere correxit. Et quoniam postea ad Bacchides semel reversus Ritschelii recensionem cum mea recognitione diligenter comparavi: accidit, ut meae mihi conjecturae non una omnes sed alio tempore aliae subnascerentur. De quibus rebus libere, ut volet, unusquisque statuatur: nam de emendationibus viri docti et re dissidere solent et verbis digladiari. Itaque hoc unum addo, haud ita raro Hermannum, Ritschelium, postremo nos sine ulla dubitatione prorsus consentire, moneoque

juvenes criticos, ne talibus certe in locis temere et inconsulte omnibus nobis obloquantur. Nunc ad fabulam ipsam veniamus. V. 51 ed. Ritsch. (vulgo v. 17): ‚Pist. Viscus merus vostrast blanditia. Bacch. quid jam? Pist. quia enim intellego, | Duae unum expetitis palumbem: perii arundo alas verberat. | Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.‘ Tertio versu Hermanni transpositionem: ‚Non ego mi istuc facinus, mulier‘ probamus. Gravius laborat secundus, cujus certo redintegrandi unica via patet, ut vox ‚alas‘, quod merum glossema est, funditus deleatur mutata etiam interpunctione. Scribendum est enim sic:

Pist. Viscus merus vostrast blanditia. Bacch. quid jam? Pist. quia enim intéllego, Dúae unum expetítis: palumbem, péríi, arundo vérberat.

Nón ego mi istuc fácinus, mulier, cónducibile esse árbitror.

‚Verberat‘ autem idem fere est quod ‚ferit‘ vel ‚tangit‘, ut in libro De bell. Afric. I, 1. Sic igitur jam a. XLVI primus, ut opinabar conjeci: Guyeti enim conjecturas non magis ego vidi, quam eas vidit Hermannus. Postea Ritscheliuss in ed. Bonnensi Praef. p. XII ita scripsit: ‚mihi ipsi, inquit, aliquando in mentem venit ejecto alas scribere péríi, arundo vérberat, id quod vidi etiam Guyetum suadere —.‘ Jure tamen Ritscheliuss interductu non simul emendato haesit in illo verberat, quod tum male caret accusativo suo ideoque ab certa Guyeti correctione ad aliam eamque plane infelicem aberravit. V. 107. Libri omnes in hujus versus fine exhibent ‚decedamus‘ metro invito, ut aliquid desit. Malim ego cum Ritschelio ‚decedamus hinc‘ scribere quam Hermannus ducere ‚quin decedimus‘. Sed ut haec incerta sunt, ita aliud hujusce loci vitium bene mihi sanasse videor. Nam post verba ‚simul hic nescio‘ ita pergunt ‚qui turbare qui huc it‘ codices optimi, ‚qui turbare qui huc te‘, boni libri, postremo ‚quid turbare quin hinc‘ (vel simili modo) vulgares. Atqui in antiquis scripturis nihil aliud delituit nisi hoc ipsum: ‚S. h. n. qui turbare visust,‘ ut corrigendum sit: Simul hic nescio qui turbare visust: decedamus [hinc].‘ Etenim plane sic loqui scriptores latini solent, in his etiam Plautus Cistell. II, 3, 1: ‚audire vocem visa sum ante aedis modo‘, et Terentius in Eunuch. III, 2, 1: ‚audire vocem visa sum modo militis‘, ubi commode Donatus observat omnes sensus visa dici adeoque etiam ad auditionem traduci solere, ut apud Vergilium: ‚visaeque canes ululare‘ (Aen. VI, 257). Ceterum et Ritschelii et Hermanni conjecturae h. l. ab codicum lectionibus procul abhorrent neque ullo modo laudari possunt. V. 110. libri: ‚spectans quas tu res hoc ornatu geras.‘ Ritscheliuss Hermanni conjecturam ‚inspectans quas tu —‘ comprobavit. Contra ea ego a. XLVI in priore comment. p. 4. ita scripsi: ‚pro spectans corrigo expectans et comparo Terent. Andr. I, 1, 7. Lydum enim rem nondum compertam habere ex eadem scena v. 37 patet.‘ Postea Th. Bergkii in Indice schol. Halensium hieme 58/59 p. XII mihi plane adsentiens ipse quoque scribi jussit: ‚expectans, quas tu res hoc ornatu geras.‘ V. 166. Post Lydi versum ‚Quam — perdidit‘ libri etiam B, (vetus cod. Camer.), ita pergunt:

1 Pist. Istáctenus tibi, Lýde, libertás datast III.

2 Orátionis: sátis est sequere [hac] me ac tace. IV.

3 Lyd. Edepól fecisti fúrtum in aetatém malum, I.

4 Quom istaéc flagitia mé celavisti ét patrem. II.

Sed codex B post v. 175 hos quatuor versus eo ordine iterat, quem in dextro margine

ab me indicatum unus Ritschelius praeclare sequutus est: versus enim ‚Orationis — tace‘ non potest non extremus esse. At cave hoc successu alacrior redditus etiam sana corrumpas. Recte enim Hermannus v. 109—165 ordinem versuum codd. omnibus firmatum servavit. Acidalius vero et qui ab eo deceptus est Ritschelius etiam aliis transpositionibus in hac scena opus esse rati non viderunt secundum libros omnia inter se vel optime cohaerere, sed justum sententiarum nexum transponendo ipsi mire perturbarunt. Tenendum est, ambo qui colloquuntur iratos esse et (ut fit in iurgio) juvenem amore quoque occaecatum ab verbis sensim transire ad verbera. Nam plagas magistro Pistoclerus minatur v. 147 (‚cave malo‘ inquit), deinde continuo post v. 151 (h. e. post ‚minitarier‘) Lydo pugnum impingit, id quod elucet etiam ex inferiore loco v. 450, postremo v. 155 mortem adeo Lydo minitatur, quam Linus magister ab Hercule dicebatur passus esse. Quae quum ita sint, in v. 154 (verba sunt Lydi magistri) librorum scripturam: ‚Valéns afflictat mé vacivom vírium‘ Hermannus verissime servavit. Sed malae transpositiones traxerunt pessimam Acidali conjecturam a Ritschelio propagatam: ‚Valens afflictet me‘ —, id quod barbare dictum esse contendo. Nam ‚valens ut me afflictet?‘ dici latine, ut bis infra est v. 375, potuit, contra ‚valens afflictet me‘ praesertim sine interrogatione dici nullo modo potuit. Ceterum non bene latina etiam alia quaedam esse arbitror, quae in Ritschelii edit. Bonnensi legas, veluti proximo versu 170 ‚biennio posteaquam‘ vel v. 304 ‚quoniam extemplo‘. V. 191 sq. Dixi in priore comment. p. 4, hunc versum bene correctum esse a Bentlejo ad Ter. Heaut. II, 3, 3 deleta isto recte, proximo autem versu ego ipse non et minus transposui itaque haec correxi:

Chr. Quia si illa inventast, quám amat, vivit ét valet;

si mínus inventast, nón valet, moribúndus est.

Libri ‚si non inventa est, minus valet moribundusque est‘, sed ‚moribundus est‘ recte jam Camerarius. Ritschelius priore in versu Bentlejum auctorem secutus est, alterum vero non minus genuinum illum et a Bentlejo servatum quasi subditivum delevit duce Hermanno, cujus opinionem ego l. l. ne mentione quidem dignam esse censui. Nam quod neque in Hermannum neque Ritschelium nisi perraro cadit, id hic accidit utrique, ut eum versum expungi vellent, qui priora v. 188—190 relegenti plane necessarius videbitur ‚ob causas mere logicas‘. V. 218. Libri ‚Edepol, Mnesiloche, ut hanc rem natam esse intellego—‘. Recte Ern. Schneiderus hanc delevit, quod minime usitatum est et h. l. e v. 217 male irrepsit, scripsitque: ‚Edepól, Mnesiloche, ut rém natam esse intéllego.‘ Compara formulas e re nata et pro re nata et Plauti Casin. II, 5, 35 postremo adde quae nos in Quaest. Lucian. p. 180 collegimus. Nam reliquae conjecturae ejusmodi sunt omnes, ut eis usus linguae latinae violatus sit. V. 224 sq. libri: ‚veniat quando vult, atque ita ne mihi sit morae. | Domist: non metuo nec quoquam supplico.‘ Equidem transpono ita et deinceps quid suppleo: ‚Veniát, quando ita volt átque ne mihi sít morae. | Domíst: non metuo [quíd] nec quoquam súpplico.‘ V. 266 sq. Nic. quid, ubi ei ostendit symbolum? Chr. infit dicere, | adulterinum et non eum esse symbolum: | quotque innocenti ei dixit contumelias. | Adulterare eum ajebat rebus caeteris.‘ Versu secundo Ritschelius Guyeto auctore edidit: ‚adulterinum, non verum esse s.‘ Equidem jam olim pro verbis et non eum correxi et non tuum comparatis his verbis v. 264: ‚symbolum, quem tute dederas‘ et scholio sane docto ad Eurip. Medeam v. 610

de tessera hospitali. Praeterea Fleckeisenus meus versiculos 267 et 268 summo jure transponit. Quamobrem ego ita scribo: Nic. quid, ubi ei ostendit symbolum? Ch. infit dicere, | adulterinum et non tuum esse symbolum, | adulterare eum asbat rebus ceteris: | quotque innocenti ei dixit contumelias.' V. 274. Chr. porro etiam auscult a pugnam, quam voluit dare. | Nic. etiamne est quid porro? Chr. em, accipe trina haec nunc erit. | Nic. Deceptus sum.' Ita fere libri. Egregiam Hermannii correctionem accipitrinam pro accipe trinam ambo comprobavimus ego l. l. p. 4 et postea Ritschellius in ed. Bonnensi. Sed Ritschellius cum Hermannio verba ,em — erit', quae libri Chrysalo tribuunt, Nicobulo continuavit. Quo facto em vel potius hem non erit mutandum. Sic igitur illi hunc versum scribebant: Nic. ,etiám quid porro? hem áccipitrina haec núnc erit'. At senex perterritus non potest joculari neque ipse ultro servum illudere. Quare non personas muto sed pro hem sive em scribo imo edamque sic: Chr. porro étiam auscult a púgnam, quam voluit dare. | Nic. etiámst quid porro? Chr. immo áccipitrina haec núnc erit. | Nic. deceptus sum.' V. 280. ,Dum circumspecto, atque ego lembum conspicio | longum, strigorem máleficum exornárier.' Plerique libri, ,longum est rigorem maleficum, sed vetus codex, longum st rigorem maleficum.' Quae ab Mureto, Salmasio, Acidalio, Hermannio et Ritschelio vanis conjecturis tentata sunt. Hos omnes una causa permovit, quod homines dici tanquam nomine strigores potuisse negarent. At quum ,rigidus' saepe ,fortem' significat (ut ,rigidus fossor' vel ,rigidi Sabini') tum etiam homo fortis et rigidus ,rigor' dici omnino potuit. Ostendi enim ad Aristoph. Ran. v. 93 Romanos Homeri exemplo abstractis pro concretis uti ,in appositione' solere, ubi hominem appellant ,opprobrium majorum', ,pestem patriae', ,voraginem patrimonii'. Ita etiam h. l. recte codex omnium optimus exhibet: — ,lembum conspicio | longum, strigorem maleficum', id quod Dacierius postremo probavit, quum male conjecisset ,lembum conspicio | longum a strigore malefico' —. Nostrates dixerint: ,ich erblicke einen Kriegskutter, eine böse Macht.' Formam cascām bene explicuit Festus p. 314, 27 ed. M: ,Strigores in Nelei carmine pro strigosis positum invenitur, id est densarum virium hominibus: strigores exerciti.' Quae recte expleta esse e Pauli Epitome p. 315, 4 adparet. Jam quod in Nelei carmine fuerat ,strigores exerciti,' id T. Livius dicturus erat ,robora exercitus' et loco Plautini ,strigorem maleficum' potius ,robur maleficum': certe Livius dictiones ,robur exercitus, robora legionum' frequentat. Ceterum antiquitus ,stritavum' dixerant pro tritavo teste Festo p. 314, 24 et ut idem p. 313, 32 ,strenam' veluti trenam praeposita s littera. Nec minus frequens est, sicut in Plautino nostro ,strigor' pro ,rigore', prothesis duarum st quum alioqui tum ante l litteram maxime. Quintilianus I, 4, 16: ,quid stlocum stlitesque?' ,Strigori' consimilis est alia navis piratica ,stlata' i. e. ,lata, quam a latitudine sic adpellatam esse docet Festus p. 312, 6. De adjectivo ,stlatarius' vide Heinrichium ad Juvenal. VII, 134 p. 300 et ad schol. p. 396. Alia sciens praetereo. V. 377–382. Miror duo versus Plauto dignos 377 et 378 Ritschellium deleri voluisse, quos et librorum omnium et Nonii auctoritas tuetur. Quanquam aliquid h. l. sane expungendum est, hoc est non duo sed unus versiculus aut 377 aut 380. Equidem servato versu 377 deleo alterum 380: ,quibus tuum patrem, meque una, amicos adfinis tuos.' Quae mera ditto-graphia est pro genuino versu 377 non sine ridicula menda ,adfines' pro ,adfectas', ut est in libris v. 377 atque adeo pro ,adfectas', ut Nonius recte. Enimvero ,adfinium'

per omnem hanc comoediam nec vola nec vestigium est. Neque Romani conjungunt ,amicos et adfines', sed potius ,amicos et propinquos'. Deleto igitur versu tam inepto ab initio proximi v. 381 pro ,tua infamia' corrige ,quos tua infamia' ipsumque hunc versum versui 378 continuo postpone. Denique v. 377 mendam tolle minutam ,me teque' et corrige ,me tecum', id quod adhuc legerat faber adulterini v. 480, ubi est ,meque una'. Ergo post v. 376 — ,desidiabula?' Plautus ita videtur perrexisse:

quibus patrem et me tecum amicosque ómnis adfectás tuos
ad probrum, damnúm, flagitium adpéllere una et pèrdere,
quós tua infamiá fecisti gérulifigulos flágití:

380 néque mei neque té tui intus púditumst factis quáe facis.

Núnc priusquam —.

Ceterum Guyetus apud Ritschelium tres versus 379—381, qua erat audacia, omnes delet. Quem sic quoque duplici nomine laudo, quod et versum 377 bene servavit, et quod removit versum absonum 380 de ,adfinibus'. V. 384. Criticorum mutationes ideo ferri nequeunt, quod Lydus inde ab v. 375 de Pistoclero semper persona utitur secunda, quasi de praesente. Hinc sequitur, quod in libris est ,ut eum' ita potius, ,ut te una' corrigendum esse, hoc est ,una mecum':

Dé me hanc culpam démolibor jam, ét seni faciám palam,
út te una ex lutulénto coeno própere hinc eliciát foras.

V. 393. mendose libri: ,ut mihi amanti copia esset. sed eccum video incedere', scriba aberrante ad v. 403, qui et incipit eodem modo ,ut uteris' (sic) et eandem in caesura habet interpunctionem et in haec ipsa verba desinit: ,sed eccos video incedere'. Hinc v. 393 ,sed eccum video incedere' ab criticis non in similes literas vertenda sed plane erant delenda hoc modo: ,út mihi amanti cópia esset. — — — — —'. Ut enim Plautus dixerit Chrysalo gratiam esse referendam, tamen quibus id verbis dixerit, omnino nescimus. Sed hac repetitione fretus anonymus probante Ritschelio conjecit, novem versus 394—402 non ipsius Plauti esse sed postea ab vetere poëta suppletos videri. Quod concedo fieri per se potuisse, attamen factum esse vix credo. Immo idem scriba, qui ad v. 403 primum aberrarat, errore protenus animadverso versus 394—402 bene transcripsit, oblitus ille tamen vitium in fine versus 393 commissum una ex archetypo corrigere. V. 405. ,Nunc experiar, sitne acetum tibi cor acre in pectore.' Ita codices vitiose. Mala est conjectura mea pristina l. l. p. 5, malae item criticorum omnium. Postea vidi Plautum ita scripsisse: ,núnc experiar, sítne acetum tíbi acore acri in péctore.' Res patet ex ipsius Plauti loco, quem hic adferre editores quam recte eo uti maluerunt, in Pseudulo v. 739. ,Pseud. — écqúid habet homo íste aceti in péctore? Charin. atque acidíssumi.' Utrobique ,acetum' eadem ratione figuratum est neque quod in Pseudulo est ,acetum acidissimum' ab eo differt, quod ego in Bacchidibus restitui ,acetum acore acri', pro quo dicebant vulgo ,acetum acre', ut Horatius in Serm. II, 3, 116 alique. Huc accedit, quod Plautus hoc lusu ,acetum acidissimum' sive ,acetum acore acri' imitatur lusum comoediae graecae ὄξος ὀξύ, velut in Diphilo ap. Athen. IV p. 133, f: ἔστιν ἔνδον ὄξος ὀξύ σοι; V. 446. Vulgo est: ,it magister quasi lucerna uncto expretus linteo', sed ,id' et supra pr. m. ,al. it' cod. vetus, ,et' decurtatus, denique vaticanus Ursini ,fit', id

quod Ritscheliuss in ed. Bonnensi optime recepit. Quod enim vulgatur ,it' natum est ex initio v. 447: ,itur'. Tum ,uncto' in eodem Vaticano manus est secundae, primae autem fuit ,unde'. Corrigo una litera mutata: ,uncta'. Postremo ,expretus' antiqui codd. omnes recte habent, non ut novitii duo ,expletus'. Scribo: ,Fit magister, quāsi lucerna ūncta, expretus līnteo. | itur illinc iūre dicto.' Quidam coniecerunt ,exspretus' et participio quod est ,spretus' inducti verbum nescio quod ,exspernere' commenti sunt, alii autem vel ,oppletus' vel ,extertus' scribi voluerunt. Lindemannum ad radices linguae Sanscritae descendente Ritscheliuss confutavit. Ego antiquam lectionem ,expretus' olim Turnebo et Dousae probatam ipse quoque sequor, sed alio modo arbitror tuendam esse. Recte enim Festus in Pauli excerptis p. 79, 6 ed. M: ,expreta antiqui dicebant, quasi expertia habita.' Hoc auctore expretus cascam fuisse formam censeo pro vulgari ,expers'. Ut in graeca lingua saepe e genetivo nominativi forma altera ducta est, ita e genetivo expertis alter nominativus in—us desinens nasci sane potuit, non ille quidem ,expertus' (quia id participium est ab ,experiendo' derivatum) sed cum leni metathesi ,expretus'. Quam ratiocinationem res ipsa et diligenter considerata syntaxis Plautina ,expretus līnteo' mire confirmat. Vetus enim latinitas atque adeo ipse Plautus minime uti Tullius solet, ,expers alicujus rei' dicebant sed ,expers aliqua re', ut semper fere ablativo uterentur. Quod ad ,lucernam' adinet, bene Gronovius Ciceronem adtulit in Epp. ad Atticum IV, 3 fin: ,pauci pannosi linea laterna', ut recte ibi critici plerique. Quo minus dubitavi pro ,uncto' corrigere ,uncta', memor Horatiani ,unctam aquam' et ,uncta manus'. Nam lucerna uncta h. e. immunda et sordida, utpote utili līnteo expers lucere nequit. Magister autem metaphorice dicitur ,expers līnteo' ideo quod non magis quam ejusmodi lucerna possit lucere. Jam magistri dignitatem senex (v. 444) non senectutis vitio perdidit sed culpa patris ejusque domini sui, cujus praesidio destitutus est (v. 442 sqq.). Contra ea bonus magister similis est lucernae non unctae atque obscurae sed lucidae et splendenti. *Λύχνος* enim tropice usurpatur de magistro qui longe lateque ingenii lumen diffundat, quum alibi tum in Evang. Johannis V, 35 (de Johanne): *ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καίόμενος καὶ φαίνων*. Hic locus vere divinus similis est Plautino id est Menandro ex fabula *Δὺς ἐξαπατῶν*. Inerant enim in Menandro etiam gnomae vel maxime sublimes, quarum unam in Pauli epist. I ad Corinth. 15, 33 verbotenus servatam habemus. Et haec quidem jam olim mea opinio fuit de Plauti versu, quem nolebam silentio praetervehi quasi scopulum naufragiis infamem. At Ritscheliuss, vir desideratissimus*), quum illud ,fit' poëtae reddidisset, addidit tamen intacta se reliquisse verba obscurissima. V. 471. libri antiqui: ,atque acerrume aestuose absorbet, ubi quemque attigit', vel simili modo. Primum in literis ,uos' id ipsum latet, quod exhibet editio princeps: ,viros'. Totum autem versum non dubito ita emendare: ,atque ea acerrumo aestu viros absorbet, ubi quemque attigit', ubi ,viros' tanquam ,v'ros' una syllaba pronuntiandum est, ut saepius apud Plautum iudice etiam Ritschelio in Prol. ad Trin. p. 147. Nam ejusmodi muliercula tanquam quaedam Charybdis est etiam Anaxilae comico ap. Athen. XIII p. 558 a et c atque Horatio in Carm. I, 27, 19, de qua re non est, quod plura dicamus.

*) ,Multis ille bonis flebilis occidit'!

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- Dr. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim Evangelium Joannis interpretabitur quinquies p. h. hora XI; 2) privatim Isagogen in Novum Testamentum docebit quinquies p. h. hora XII; 3) publice historiam passionis et resurrectionis Domini secundum evangelium Joannis comparatis caeteris evangeliis explicabit die Saturni h. IX et h. X.
- Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Introductionem historicam et criticam in canonicos V. Ti libros docebit quinquies p. h. hora III; 2) privatim Psalmos interpretabitur, quinque p. h. scholis hora IV; 3) publice selectas S. Ephraemi conciones sacras syriace conscriptas explicabit, binis p. h. scholis defin.; 4) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur, die Lunae h. h. VI—VIII vesp.
- Dr. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. X tradet et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.
- Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim vitam et doctrinam apostolorum enarrabit quinquies p. h. hora VIII—IX; 2) privatim theologiam dogmaticam docebit quinquies p. h. hora IX—X; 3) publice introductionem in theologiam dogmaticam explicabit binis scholis p. h. die Jovis hora VI—VIII.

In ordine juridico.

- Dr. Hugo Boehlau, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) historiam juris Germanici enarrabit quinquies p. h. h. XII; 2) de jure Mecklenburgico privato disseret ter p. h. h. IV; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum exponet ter p. h. h. IV.
- Dr. Augustus Thon, P. P. O., 1) pandectarum partem I. (praecepta generalia et iura in re 1) senis p. h. scholis h. IX, 2) pandectarum partem II. (obligationes) quinque p. h. scholis h. X docebit.
- Dr. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum quinque p. h. scholis docebit h. V; 2) juris et civilis et ecclesiastici de matrimonio praecepta tradet bis p. h. hora VI; 3) encyclopaediam juris universi docebit ter p. hebdomadae h. h. c. c.; 4) legem fundamentalem Imperii Germanici interpretabitur semel p. h.
- Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. E., 1) theoriam processus civilis ratione Mecklenburgici juris habita septenis p. h. scholis h. XI, die Saturni h. XI—I, 2) processus summarios nec non procedendi in concursu creditorum modum ter p. h. h. III docebit.

In ordine medico.

- Dr. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.
- Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinis diebus h. X moderabitur.
- Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni h. III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X, 4) privatim hygienam diebus Martis et Veneris h. V—VI, 5) privatim physiologiam animalium generalem diebus Mercurii et Saturni h. V—VI docebit.
- Dr. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis p. h. diebus horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimidia, 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.
- Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur h. VIII; 2) mulierum morbos ternis horis p. h. IX et 3) medicam forensem ternis horis p. h. docebit privatim.
- Dr. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. hora XII—I docebit; 2) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII moderabitur.
- Dr. Carolus Gaeltgens, P. P. O., 1) formulas medicamentorum scribere docebit die Lunae h. IV privatim; 2) pharmacologiam tradet quaternis diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IV privatim; 3) toxicologiam et chemiam forensem junctam cum exercitationibus analyticis docebit ternis diebus horis definiendis privatim; 4) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio ter horis definiendis moderabitur publice.
- Dr. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., h. t. Decanus, 1) chirurgiam specialem ternis diebus h. IX docebit privatim; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Jovis et Saturni h. XI—XII et dimidia.
- Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem quotidie hora definienda docebit; 2) cursum anatomes et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite disseccandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dimidia.
- Dr. Guilielmus Brummerstaedt cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis moderabitur.
- Dr. Paulus Schiefferdecker 1) osteologiam et syndesmologiam ter p. h. docebit privatim; 2) histologiam exercitationibus practicis tractabit quater per hebdomadem privatim; 3) de cerebri medullaeque architectura et functionibus auditoribus omnium ordinum lectiones offert semel per hebdomadem publice.

Dr. Julius Uffelman 1) privatim de infantium morbis quater per hebdomadem et 2) publice de diaeta sanorum et aegrotorum bis per hebdomadem disseret.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volemarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus Sophoclis Oedipum Coloneum interpretabitur; 2) binis diebus h. XI Titi Livi libros XXXI—XXXIV explicabit. Praeterea exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Plauti Trinummus et aliquot Lysiae orationes tractabuntur.

Dr. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales, demonstrationibus illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI.

Dr. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter p. h. Callimachi hymnos et epigrammata interpretabitur; 2) ter p. h. Propertii carmina explicabit; 3) quater p. h. Topographiam veteris Graeciae enarrabit.

Dr. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatim calculum integralem quater p. h.; 3) privatim geologiam quater p. h. horis definiendis.

Dr. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) jus administrativum ac politiam, senis p. h. diebus hora IX; 2) oeconomiam politicam, quater p. h. hora X.

Dr. Fridericus Guilielmus Schirmacher, P. P. O., 1) privatim historiam nationis Germanicae a Caroli V electione usque ad annum 1789 docebit quinis diebus h. XII; 2) privatim geographiam universalem ter per hebd. tradet; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae antiquae quater p. h. hora IV—V diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, 2) psychologiam ter p. h. h. V—VI diebus Lunae, Martis, Mercurii, 3) paedagogicam ter p. h. die Jovis h. V—VI, die Veneris IV—VI docebit.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., privatim 1) linguam theodiscam medii aevi nec non recentioris temporis docebit quater per hebd. h. X—XI; 2) carmina selecta interpretabitur ex libro Caroli Bartschii „Chrestomathie de l'ancien français“ praemissa introductione grammatica bis per hebd. h. IX—X; 3) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo poemata saeculi XI et XII tractabuntur.

Dr. Arminius Comes de Lippe, P. P. O., 1) doctrinam de agro recte colendo tradet in universum binis horis privatim; 2) de generanda et conservanda animalium subole disseret binis horis privatim; 3) conversatorium reget de rebus ad agriculturam spectantibus quaternis horis privatim.

Dr. Oscar Jacobsen, P. P. O., h. t. Academiae Rector, privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur.

Dr. Hermannus Grenacher, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) morphologiae animalium partem primam, zoologiam generalem, systema et

anatomiam comparatam animalium evertebratorum complectentem senis p. h. horis tractabit; 2) historiam naturalem animalium parasiticorum hominis, semel p. h. privatissime sed gratis enarrabit; 3) exercitationes zoologicas et zootomicas quotidianas instituet, privatissime.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies per hebdomadem; 2) exercitationes physices practicae solito more instituet; 3) privatissime sed gratis colloquia physica moderabitur.

Dr. Richardus Förster, P. P. O., docebit privatim 1) grammaticam Latinam diebus Lunae, Martis, Mercurii hora IX; 2) praefatus de judiciis Atheniensium explicabit Demosthenis contra Aphobum orationes iisdem diebus hora X; 3) historiam artium Graecarum et Romanarum inde ab Alexandro Magno enarrabit diebus Jovis et Veneris hora IX; 4) publice in societate philologa Ovidii Heroides interpretandas proponet iisdem diebus hora X.

Dr. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita ter p. h. tradet; 2) privatim vaticinia prophetarum Haggai, Zachariae et Maleachi ter p. h. explicabit; 3) privatim selectas Corani suras bis p. h. interpretabitur; 4) gratis syntaxin linguae hebraicae bis p. h. docebit.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., privatim 1) introductionem in chemiam agrariam bis per hebdomadam tradet; 2) physiologiam plantarum bis p. h. docebit; 3) practicum agrario-chemico-physiologicum quater p. h. reget.

Dr. Carolus Weinholtz privatim 1) philosophiae practicae lineamenta ideistica ex systemate suo docebit; 2) philosophiae essentiam et artem philosophandi historice et critice evolvet.

Dr. Julius Robert privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia litterarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam franco-gallicam docebit quater p. h.

Dr. Felix Lindner privatim 1) syntaxin linguae franco-gallicae bis p. h. docebit; 2) historiam literariam Anglorum medii aevi exponet bis per hebdomadam.

Dr. Hermannus Kretzschmar 1) de musicae artis formis harmonicis et metricis semel per hebdomadam disseret; 2) in cantu liturgico Seminarii catechetici et homiletici sodales exercebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, conclave **judiciis** academicis et **secretarii** officii destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi copia facta est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales veluti gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Oscar Jacobsen, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Guillelmus Dieckhoff**, Th. D.

Juriconsultorum **Hugo Boehlau**, J. U. D.

Medicorum **Fridericus Trendelenburg**, M. D.

Philosophorum **Hermannus Grenacher**, Ph. D.